



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Illvstri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 157.

**C**VM dissensionis materia &c. ut in alia usque sublata. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes sub debito juramento quo nobis in hac parte teneris, & in remissionem peccatum injungentes, quatenus divina dispositioni consensit, qua circa carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottone evidenter eluet, nostrum judicium approbando, ei patenter & potenter adhæreas, impendendo sibi auxilium & favorem, recepta tamen ab eo super indemnitate Salzburgensis Ecclesiae idonea cattione. Alioquin &c. ut in alia.

*In eundem modum Maguntino, Treverensi, Coloniensi, & Magdeburgensi Archiepiscopis, & Episcopo Alberstadeni, ita quod unicuique scorsim.*

*In eundem ferè modum Iudicibus, Scabinis, & civibus Coloniensibus. Certa multorum relatione didicimus &c.*

NOBILI VIRO DVCI  
Zaringie.

Epist. 158.

**C**VM dissensionis materia, qua peccatis ex gentibus haec tenus in imperio pullulavit, nimis damnoſa fuerit, non ipſi tantum imperio, verum etiam toti populo Christiano, nos, qui ad regimen universalis Ecclesie superna sumus dispositione vocati, diligenter debemus sollicitudine præcavere ne per alicujus insolentiam reviviseat qua per divinum judicium est sublata, crudele facinus detestantes quod pius animus perhorrescit. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus divina dispositioni consensit, qua circa carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottone evidenter eluet, nostrum in hac parte judicium approbando, ei patenter & potenter adhæreas, impendendo sibi auxilium & favorem; ut per hoc divinam & apostolicam gratiam uberioris merearis. Alioquin præter divinam offensam, apostolicam quoque censuram incureres, cum eidem Regi nolimus in suo jure deesse, qui sumus omnibus in sua justitia debitores.

*In eundem modum Duci Meravia, Duci Saxonie, Duci Bavariae, nobilibus viris vassallis ducatus, Marchioni Mirenſi, Marchioni de Brandenburg, Marchioni de Landesbire, Duci Austriae.*

JOHANNI ILLVSTRI REGI  
Angliae.

Epist. 159.

**E**CCE jam tempus advenit in quo si carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni nepoti tuo curaveris magnificè subvenire, te ipsum magnificare valebis ultrà quam expedita nunc litteris explicare. Cum igitur ad honorem & profectum tam ipsius Regis quam tuum effigaciter aspiramus, serenitatem tuam monemus & exhortamur attentiū, fideliter consulentes quatenus circa subventionem ipsius te nec durum exhibeas nec avarum, sed taliter ei simili ac semel studeas subvenire quod tuo accidente subsidio quod commodè nunc prævalet expe-

diri, per nostræ sollicitudinis studium feliciter consummetur.

LITTERÆ OTTONIS REGIS.  
in Romanorum Imperatorem electo.

**R**Everendo in Christo Patri ac Domino carissimo Dominino Innocencio Dei gratia sanctæ Romanae sedis summo Pontifici, Otto eadem gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus, debitam subjectionem ac reverentiam cum filiali dilectione. Quod haec tenus sumus, quod sumus aut erimus, quantum ad regai pertinet promotionem, totum vobis & Ecclesia Romana post Deum debentes, quod & gratianissime recognoscimus, pro omnibus vestre gratie beneficis uberrimas sanctitatem vestre referimus actiones, erga vos & omnes quibus banum vestris exhibit nobis benignitatem studiofissime semper meritari. Vestre proinde paternitati attentissime supplicamus ut intuitu omnis devotionis nostra & honoris Dei ac vestri ipsius, ac promotionis Ecclesie Romanae respectu, ex qua misericordia Dei, ut speramus, consanguineo nostro sublatio de medio, tempus vobis contulit faciendo, omne vestre discretionis consilium & auxilium nostræ promotioni, que sine dubio vestra est, propensius impendatis. Scire piatæ vos volumus quod Archiepiscopus Magdeburgensis & Halvestadenensis & Mindensis Episcopi ad nostrum auxilium & servitium accelerarunt. De Duke Bernardo sciatius nuntios vestros eo diu quo has litteras vobis destinavimus cum ipso fuisse, & eò usque cum ipso actum esse ut cum omnino speremus in nostra fidelitate & servitio permanefum. Frater nostre Palatinus Comes Rheni, Deo gratias, ad nostram integrè reddit caritatem; & ex quo mortuis fuit consanguineus noster, nobis etiam ignorantibus nos in omnibus quibus promovere potuit non cessavit. Spirens etiam Episcopus nobis securitatem fecit & nostram per omnia studet utilitatem & honorem. Multi præterea Episcopi, Barones, Abbates, & Castellani, & ministeriales ram in Suevia quām circa partes Rheni superiores & inferiores & alijs in imperio constituti de suo nobis servitio & fidelitate scripserunt, & per fidèles nuntios mandaverunt, sed pro angustia temporis & distania locorum ad nos adhuc corporaliter accedere minimè possebant. Orientales etiam Principes diem quendam, videlicet nativitatem beate virginis Virginebutch statuerunt, quasi de imperio ordinaturi; quod & alios Principes venire hortati sunt, & nobis de die & loco mandaverunt. Consuta igitur benevolentia vestra & in omnibus probate iterum devotissime supplicamus ut sicut nobis & vobis noveritis expedire, generaliter omnibus Principibus, & Specialiter nbi necesse vobis visum fuerit & utile, per bonos ac fideles nuntios vestros scribere dignemini, adiuvantes preces, consilium, & mandatum, bonam veliram voluntatem omnibus declarantes. Perutile autem nobis fore si haec usque ad diem prænominatam efficerit possit Archiepiscops autem Maguntinum & Coloniensem ad nos quantius redire faciat. Civitatibus etiam Italie & Tuscæ de nobis scribite, laudantes eas quæ haec tenus in nostra & vestra devotione permaneserunt, & eas quæ haec tenus nesciebant nos ad nostrum favorem exhortantes. Rogamus item ut si de Ecclesia Bremensi & ejus electis vobis sive per Regem Dacie, sive per quemcumque mentio facta fuerit aut peticio, ejus negoti executionem usque ad adventum nuntiorum nostrorum, quos vobis super eo idoneos quantocius mintemus, differatis; scientes pro certo quia secunda electio, sicut & prior, & contra Deum & contra ius & rationem facta est, & neutrini promoto vel vobis vel nobis nolciunt expedire. Super omnia autem nos & causam nostram immo vestram velut subiectum consilio & voluntati, certissimi ut quod paternè erga nos cœpistis, in quo bene haec tenus perlevratis, ad laudem & gloriam Dei & Ecclesie Romanae & utilitatem optimè perficeret debeat.

ILLVSTRI REGI OTTONI  
in Romanorum Imperatorem electo.

**P**Riusquam ad nos, fili carissime, post occasum Philippi quondam Ducis Sueviae quisquam ex parte tua nuntius cum litteris pervenisset, peregrinus universa quæ post a nobis per

Epist. 160.

per tuas litteras postulasti; quin etiam scrip-  
fimus multis aliis prout imminentia negotio cre-  
didimus expedire, pacati semper efficere qua  
ad honorem & profectum tuum debeant redun-  
dere. Tu ergo de plenitudine gratiae nostra se-  
curus, non minus prudenti quam diligentia stu-  
dio illa satagis procurare que tuae promoto-  
ni convenient & saluti, eam in verbis & ope-  
ribus gravitatem exhibens & cautelam ut in  
nullo reprehensibilis merito judiceris. Datum  
Sorae xiiii. Kal. Septembris, pontificatus no-  
stri anno undecimo.

E I D E M.

Epist. 162.

**L**icet antequam ad nos per diversos nun-  
tios tuae litterae pervenirent post occasum  
Philippi omnia peregerimus quae per easdem  
litteras postulasti, auditio tamen quod Princi-  
pes Alemanniæ apud Virceburgh in nativitate  
beate Mariae debeant convenire de imperio  
tractaturi, protinus per nuntium nostrum cum  
tuo ad eos litteras apostolicas destinavimus quae  
promotioni tuae credidimus opportunas,  
executorem mandati nostri constituentes dile-  
ctum Herbiopolensem electum, de quo plenam  
fiduciam obtinemus. Tu ergo, fili carissime,  
de plenitudine gratiae nostra securus, talem te  
satagas exhibere ut apud Deum & homines me-  
rito reperteris acceptus. Datum Sorae &c. ut  
supra.

ARCHIEPISCOPO MAGDEBURGENSI.

Epist. 163.

**Q**uod carissimo in Christo filio nostro il-  
lustri Regi Ottoni in Romanorum Im-  
peratorem electo sine speciali mandato nostro  
tuum impendisti obsequium & favorem, sicut  
idem Rex per suas nobis litteras intimavit, eo  
præstern intuitu quod id nostro reputas bene-  
placito fore gratum, fraternitatem tuam dignis  
prosequimus actionibus gratiarum, tuam  
ex hoc certius cognoscentes & devotionis dul-  
cedinem & fidei puritatem. Ut ergo quod lau-  
dabiliter incepisti, laudabilius prosequaris,  
fraternitatem tuam rogamus attentius & mo-  
nemus, per apostolica tibi scripta mandantes  
quatenus eidem Regi potenter & prudenter  
inhærens, in omnibus & per omnia tuum ei præ-  
beas auxilium & favorem, sciturus pro certo  
quod id nobis exigit gratum plurimum & ac-  
ceptum. Datum Sorae &c. ut in alia.

HERBIOPOLENSI ELECTO.

Epist. 164.

**C**um Principes Alamanniæ, sicut accepi-  
mus, apud Virceburgh in nativitate bea-  
te Marie tractaturi de imperio debeant conve-  
nire, nos, qui de prudentia & devotione tua  
fiduciam gerimus plenioram, per te verbum  
nostrum ad eos pro pace imperij volumus dili-  
genter proponi & efficaciter promoveri. Quo-  
circa discretionem tuam rogandam duximus &  
monendam, per apostolica tibi scripta præci-  
piendo mandantes quatenus receptis litteris no-  
stris, quas ad omnes Principes Alamanniæ com-  
muniter destinamus, eas eisdem Principibus ex  
parte nostra prudenter assignes, & ad promo-  
tionem carissimi in Christo filii nostri Regis  
Ottonis illustris diligenter intendens, secun-

Tom. I.

dum tenorem litterarum ipsarum eosdem Princi-  
pes exhorteris ad nostrum beneplacitum ex-  
quendum, prout melius tibi fuerit desuper ins-  
piratum. Tu ergo, dilectissime fili, de cuius  
obedientia plene confidimus, mandatum apo-  
stolicum taliter exequaris quod tuae discretionis  
prudentia claret in effectu, & nos devotionem  
tuam debeamus merito commendare. Datum  
Sorae &c. ut supra.

PHILIPPO ILLVSTRI REGI  
Francorum.

Epist. 165.

**P**er tuas nobis litteras intimasti quod de Phi-  
lippo quondam Duce Sueviae, quem tu Re-  
gem Romanorum appellas, conqueri meritò  
poteras & debebas. Primo quidem, quia cum  
ipse in die Pentecostes Aquilgrani maneret, &  
Abbas Castræ-Nantonis amicus ac fidelis & qui-  
dam Miles ligius homo tui fuissent ad tres Re-  
ges in peregrinationem profecti, coram pluribus  
cum gaudio quasi dixit quod te confererant  
Picťavenes Comites Namurij & Boloniæ, ac  
ducentos de melioribus Militibus exercitus tui  
ceperant, Comites vero Boloniæ & Hollandiæ  
occidentar, quod veluti de tuo gaudens infor-  
matio publicabat. Secundo vero, quia cum ip-  
se jurasset, ac litteras suas patentes inde tibi  
dedisset, quod te juvaret contra Regem Otto-  
nem, quem tu vocas quondam Comitem Picťa-  
vensem, & quod sine tuo assensu cum ipso nun-  
quam pacem iniret, demum sine assensu & vo-  
luntate tuae pacem iniret cum eodem, sicut in ve-  
ritate te assens cognovisse. Tertio quoque, quia  
cum Comes Barri dilectus & fidelis consanguineus  
tuus Duxem Lotharingiæ infestarer, eumque  
in sua terra cepisset, tu præfato Philippo  
pacem de ipso Duce pro memorato Comite ob-  
tulisti, quia modis omnibus ad ipsorum, vide-  
licet Philippi & Ducis, cedebat honorem, quem  
admodum tibi & alias pluribus videbatur; qui  
super hoc per litteras & nuntium suum indebitè  
tibi respondens, ad aggrediendum prædictum  
Comitem, precium tuarum immemor, exercitum  
jam citarat, sed, Domino permittente, in illo  
fuit itinere interfactus. Ad quae tuae serenitati  
duximus respondentum quod licet inter eun-  
dem Philippum & præfatum Ottonem pax non  
fuerit reformata, sed de ipsa reformanda trac-  
tatum, per haec tamen intelligere potuisti quan-  
tam fidem habere de ipso valueris quantumque  
dilectionem in eo debueris constituere, illud  
que verum fuisse quod melius tibi erat, quem-  
admodum sepius tibi scripsimus, nostris consiliis  
acquiescere quam Suevi fraudibus inhæ-  
re. Consequenter autem hanc causam odij quod  
erga te idem Philippus conceperat expressisti,  
videlicet quod cum saep te per litteras & nun-  
tios requiri ut haberes colloquium cum eo-  
dem, tu ejus nuntius respondisti quod regni ne-  
gotiis occupatus, colloquium habere non po-  
teras cum ipso, nisi prius scires de quo & super  
quibus inter vos illud celebrari deberet. Qui  
tibi pro ipso & per ipsum respondentes, dixe-  
runt quod ipse volebat ut contra nos & Roma-  
nam Ecclesiam adhæres eidem, ac decem mil-  
lia mārcarum à te mutuò postulabat. Et quia  
contra nos & Romanam Ecclesiam ad exemplum

D D d d